



1648 14 14

# SEPULTURA VETERUM.

five  
DE ANTIQVIS RITIBUS SE-  
PULCHRALIBUS,  
Romanorum, Græcorum,  
Judæorum & Christianorum,  
DISPUTATIO TERTIA.

*Quam*  
D. O. M. A.

*Præside*

M. JOH. ANDR. QVENSTEDT.  
QVEDL. FACULT. PHILOSOPH.  
ADJUNCTO,

*Publica disquisitioni submitte*

ZACHARIAS MATTHIÆ  
Brandenburgo-Marchicus.

*Ad diem 17. Maij horis antemeridianis.*

In Auditorio Philosophorum.

••[†]••

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M.DC.XLIIX.

SEPTULTURA

VETERUM

sive

DE ANTIQVIS RITIBVS SE-

PULCHRALIBVS

Romanorum, Græcorum,  
Iudeorum & Christianorum

DISPUTATIO TERTIA

Com.

D. O. M. A.

M. JOH. ANDR. QVENVSTEDT.

QVEDL. FACULT. PHILOSOPH.

AD IUNCTO.

SACHARIAS MATTHIAS

Brandenburg-Marchion.

Ad diem 17. Maji hanc antequam

In Auditorio Philosophorum

WITTEBERGÆ.

Ex Officina typographica JOHANNIS HAREN.

ANNO MDCCLXXIX.



  
 CAPUT V.

Funeris elationem antecedentia exhibens.

**F**Narraturus, quæ domi Defunctorum corporibus adhiberi, & Funeris *in Orogis* seu ductionem antegredi consuetas priscis seculis, non persequar pluribus quæ morientibus sunt exhibita, quomodo videlicet illos, qui jam in extremam vitam regulam constituti, quorumque anima in summo quasi ore versari credebatur, sanguine proximi, & ceteri sui, qui presentes erant, amplecti & osculari fuerint soliti, quæ admodum *Jacobum Patriarcham* in complexu & osculis *Josephi* patriæ senectæ cultoris ad exemplum egregij, *Gen. l. i.* & *Augustum Cæsarem* in osculis *Livia* defecisse apud *Suetonium* in vita ejus legimus. Quomodo morientium digitis annulos detraxerint, aut, (quæ Judæis erant peculiaria) eorum pollices eo artificio in volam depresserint, ut pugni rugæ cognomentum Dei *יְהוָה* (quod *Omnipotentem* significat, *Gen. v. i.* pulchrè representent, ut ex auctore ritualis libri *Mishagim cap. ult.* refert *Will. Schickardus in Jure Regio Hebræorum cap. VI Theor. XIX.* & à morituris Legis volumen, ne immunda rei presentia id ipsum pollueret, removerint, ut *idem* docet loco citato. Quomodo denique agroto ultimum singultiente & animam exhalante adstantes vestes suas laceraverint, de quo ritu videatur Doctissimus Christianorum Rabbi *Buxtorfius Synag. Judaicæ cap. XXXV.* & *Schickardus loco jam dicto. A Lo-Lotio.* tione autem, quæ jam vitam functis adhiberi consuevit, oratione oculis n. demortui compressis (quod officium præstiterunt invicem cognati) ore decenter composito, membrisque ceteris ad pristinam & naturalem corporis formam redu-

ctis, lavari solebat corpus exanime, fortè ut unctio ni mox  
secutura aptius foret. Hic ritus priscis Romanis, ut pleri-  
que alij, cum Græcis erat communis. Quod longâ exem-  
plorum serie probare supervacaneum esse puto, neque e-  
nim opus in re tam levi adeoq; manifestâ multis verbis.  
Dardanis quorum regio Macedonia erat contermina, ,  
maximè solemnitas fuit hujusmodi Lotio, quod *Alianus*  
refert lib. IV. Variæ Histor. cap. I. ὅτι Δαρδανεῖς, τὰς ὀπὸ τῆς  
Ἰλνυρίας αἰνέω τῆς λουτρίας μόνον ὡς πᾶντα τὸν ἑαυτῶν βίον  
ἐξ ἀδωκῶν καὶ γαυρῶν καὶ ἀποθανόντων. Dardanenses Illyri-  
cos ter tantum lavari audio per universam vitam, & post par-  
tum, & cum nuptias inirent, & post mortem. R. Moses Ben-  
Maymon (qui à suis primis literarum notis משה ראבבן רמבם  
ham & ob insignem eruditionem, qua polluit משה ראבבן רמבם  
aquila magna vocatur teste *Schickardo*, qui que vulgato hoc  
dicto à Judæis celebratur; A *Mose* (Legislatore) usque ad  
*Mosen* (Maymonidem) non fuit sicut *Moses*. prolixè sa-  
tis & accuratè describit morem circa sepulturam apud Ju-  
daeos, Volumine II. sui operis cujus frons est *Maymoni*. in  
tractatu de luctu cap. 4. inter alia & lotionis meminit; acci-  
pe verborum ejus sententiam ut ea habetur apud *B. Gerbar-  
dum Harmon*. Evangel. Passion. Dom. cap. XIX. n. 3. *Mos* est  
in Israel circa mortuos, & eorum sepulturam, ut, cum quis mor-  
tuus est, ejus oculos occludant, & si os habuerit apertum, clau-  
datur, fascia maxillis circumligatà, ne iterum aperiatur. Ob-  
turatur etiam locus per quem excrementa ejiciuntur, sed hoc  
postquam corpus fuerit LOTUM. Idem testatur ante lau-  
datus *Job. Buxtorfius* loc. all. Aquà calidà, inquit, Studiosè  
abluitur mortuus, ut purus & mundus sit, quum peccatorum  
ratio reddenda erit. Orum insuper acceptum cum vino agitan-  
tes permiscunt, & capiti illius illinunt. Christi Salvatoris  
nostri sanctissimi & immaculati illius agni corpus post mor-

mortem non modò unctum sed & ablutum fuisse ex anti-  
quis docet *Johannes Chryostomus*, totius Orbis terrarum  
Doctor, ut est apud *Theodoretum*, Græcorumque Patrum,  
quorù hodiè extant lucubrationses *polo* *veg* *Patet* & *Ho-*  
*mil.* 84. in Joann. *Mibi videtur nobilissimum fuisse Joseph,*  
*quod ex sepulchro constat, & Pilato erat notus, quare impe-*  
*travit & sepelivit JESUM, non ut reum, sed magnifice, se-*  
*cundum Judæorum consuetudinem &c.* Cum autem tempore  
urgerentur, hora enim nona mortuus fuerat, & dum peteret  
eum à Pilato, & dum *LAZARENT*, jam vespere adventarant.  
Idem ex recentioribus docet *Alphonsus Salmeron* unus ex  
X. Jesuitis primis & Collocutor in Concilio Tridentino  
*Tom.* 10. ubi de sepultura Christi. *Epiphanius* qui hæreticis  
ab Origine Ecclesia ad sua usque tempora recensendis in-  
cubuit, *Homilia* de sepultura Domini Josephum ab Ari-  
mathia ita affatur, *Anne aqua DE illius corpus abluit, qui o-*  
*mnès à peccatis abluit & expiavit, omnibusq; puritatem tribu-*  
*it?* *Balduinum Hierosolymorum Regem ad Flandros suos*  
ex Palastina pretiosas & mundas sordes ex abluto corpore  
mortui Christi existentes per *Abbatem S. Bertini* missis  
credulo populo persuadet *Lorinus in Cap. IX. Actor. v. 37.* *S. Basil*  
Cæterum feralem hanc lotionem in primitiva Ecclesia et-  
iam fuisse usitatam ex jam dictis Apostolorum Actis cap.  
IX. 37. liquet. *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata*  
*(Tabitha) moreretur, quam cum lavissent, posuerunt eam*  
*in coenaculo.* *Dionysius Alexandrinus S. Cypriani* aequalis &  
*Origenis* discipulus ceremonias in Christianorum Funeri-  
bus usitatas studiosè recenset apud *Eusebium lib. 7. Histor.*  
*Eccel. cap. 17. Sanctorù corpora manibus erectis supinisq; excipe-*  
*re, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gesta-*  
*re humeris eadavera, decenter ornare, illis adbarefcere, ami-*  
*cè complecti, lavare accurrere & linteo funebri involvere non*  
*gravati*

gravati sunt. Hac ille. *Lovinus in Actuum Apostolorum*  
*cap. IX. v. 37. & Jacobus Gretserus de Funere Christiano lib. I.*  
*cap. I.* Morem hunc abluendi defunctorum corpora in-  
ter alia probant ex S. Gregorij Dialogis, qui alias quoque  
passim à Pontificijs pro Purgatorio & Invocatione Sancto-  
rum citantur, sed Dialogos hosce supposititios esse & S.  
Gregorij nomine indignos prolixè probat *Robertus Cocus*  
*Censur. Scriptorum Vet. in Gregorio M. Alexium* Imp. ab om-  
nibus serè ministris adeò desertū esse Zonaras scribit, ut  
fermè nulli fuerint, qui cadaver ipsius postremis lavacris  
purgarint; ut referunt *Centuriatores Magdeburgenses* insi-  
gnis operis sui, & quale pristina ætas nunquam viderat,  
*Centur. XI. cap. 6.* Ipsum autem hoc lotionis munus ple-  
rumque obibant mulieres, quæ peculiari nomine *Funera*  
dicebantur apud Romanos, unde versus ille *Ennianus*  
*Tarquiniū corpus bona femina lavit & unxit.* Alludit eodem  
in Platonis Phædone Socrates cicutæ poculum hausturus;  
*Ac fortasse jam tempus est eundi in lavacrum.* Nam mihi  
quidem consultius videtur, me prius lavari, quam bibam  
venenum: nec mulieribus negotium facessere, ut mortuum

*Unctio & lavent.* Idem apud Christianos quoque obtinuit. Lo-  
*Conditura.* tionem insequitur *Unctio & Conditura* unguentorum usi  
invalescente, Romanis pariter & Græcis familiaris. Postea  
*Unguenti voluptas à Romanis inter laudatissima atq; etiam*  
*honestissima vitæ bona admissa est; Honosq; is & ad defunctos*  
*pertinere cepit.* inquit *Plinius N. H. lib. XII. cap. 1.* In eo  
verò hallucinari ibidem Naturæ Bibliothecarium osten-  
dit *Kirchmannus de Fun. Rom. lib. I. cap. 7.* quod à Persis  
primùm ab Alexandro Magno devictis usum unguento-  
rum ad Romanos Græcosque transfisse scribat, cum longè  
ante Dariū devictum unguenta vel in ipsa funeratione  
à Romanis fuerint usurpata, quod ex L. XII. Tab. servi-  
lem.



lem uncturam prohibentibus colligi omnino potest. *Ar-  
thenaeus* Græcorum Varro aut Plinius (juxta *Casaubonum*  
*epist. ad Lector. super animadvers. in Arb.*) auctor est *lib. XV.*  
Priscos Græcos adeo fuisse unguentorum studiosos, ut ex-  
ploratum haberent, ecquod unguentum cuique mem-  
bro humani corporis esset accommodatum. Qui Ro-  
ma odoribus & unguentis mortuorum corpora ob-  
liniendi ministerioungebantur, Pollinctores dice-  
bantur cur & unde necdum inter doctos conve-  
nit. Erant autem servi Libitinariorum (à Libitinâ Deâ  
in cujus aede asservabantur, quæ ad instructionem fune-  
brum pomparum erant necessaria, sic dictorum) qui  
quicquid ad exsequiarum apparatus pertinebat, locare  
aut vendere & operam suam illis, quorum erat funus mor-  
tui curare, elocare solebant. Vide *Valerium Maximum*  
*lib. V. cap. 2.* Hinc *Ulpianus* Juris auctor l. V. ff. De Inst. A-  
ction. *Si Libitinaris, quos Græcè νεκροτάτας vocant, servum*  
*Pollinctorem habuerit, isq. mortuum spoliaverit &c.* Hic  
ritus unguendi mortuos Aegyptiis fuit familiarissimus. *A-*  
*gyptius mos est*, inquit *Plinius* N. H. lib. II. cap. 37. *cadave-*  
*ra adserbare medicata. e. uncta & condita aromatibus. Idē*  
*Tullius* i. Taseul. *Mortuos Aegyptij condunt, & eos domi*  
*servant.* Etiam adhuc hodie ad nos ex Aegypto adserun-  
tur corporum conditura, quæ in officinis Mumiaæ appel-  
lantur. Aromatibus condiverunt Medici Aegyptij, quos  
LXX. Senes *εὐραφιαστὰς* vocant, demortuum Israelē jussu  
Josephi *Gen. L. 2. 3.* ipsumque Josephum magnum Aegy-  
pti Proregem. Extremâ Genesi. Ben. Pererius ad prædictū  
capitulum. 1. *Circa illud*, ait, *ut aromatibus condirent Pa-*  
*trē, monendus est Lector, quomodo hic dicitur Jacob & Jo-*  
*seph fuisse aromatibus conditos, eo modo neminem legi in Scri-*  
*ptura V. Testamenti fidelium & cultorum Dei fuisse conditum*  
as se

ac sepultum, nec ante Jacob & Joseph nec post eos usq. ad Asa  
regem Juda, quem traditur lib. 2. Paral. cap. XVI. post mor-  
tem positum esse super lectum suum plenum aromaticis & un-  
guentis &c. Idem observat Lorinus in Act. Apost. cap. IX.  
37. De Josephi cadavere, mirum aliud referunt (Rabbinus)  
inquit Schickardus de Jure Reg. Hebr. cap. V I. fuisse id su-  
mo costum & in aquis Nili contra putredinem divitissime asser-  
vatum, donec unversus populus ex Aegypto egressus id secum  
in terram Canaan asportavit. Vetusissimus Græcos inter  
Historicos, qui hodie extant, Herodotus, historia parens,  
(ut eum appellat Cicero I. de Legib.) qui ante natum Chri-  
stum 420. annis claruit, eo videl. tempore, quo Esdras &  
Nehemias Rempubl. Judaicam instaurarunt, modum  
condiendi Aegyptiacum accuratè describit medio libro se-  
cundo, potissima hæc sunt; Apud Aegyptios homines cer-  
ti sunt ad hoc ipsum constituti, qui illis, (qui optimè &  
sumptuosè condiri voluerunt) ferro incurvo, per nares ce-  
rebrum educunt ejusque locum medicamentis & odori-  
bus explent: dehinc acurissimo lapide Æthiopico ilia con-  
scissa & alvum omnem extrahunt, quam post repurgatio-  
nem iterum in sedes suas reponunt ac infarctis odoribus  
consuunt. Postea siliunt intrò abdūtum septuaginta dies.  
His exactis cadaver abluunt, sindone totum involvunt  
gummi illinentes & in ligneam hominis effigiem ad hoc  
factam includunt atque ita reponunt. Diodorus Siculus  
qui inter Græcos nugari desijt (teste Plinio in præfat. H.N.)  
lib. I. Biblioth. num. XCI. in hunc modum Aegyptiorum  
condituram describit; Quamprimum ad secti cadaveris cu-  
rationem convenere (Taricheuta live qui cadavera condi-  
unt) unus per biatum manu ad præcordia immersa, quicquid  
intestinorum est præter cor & renes extrahit. Alius alvum  
cum visceribus singulis repurgatam, vino palmeo, aromaticisq.  
odor

odoribus perluit. Lotum denique cadaver ad dies plures  
XXX. unguento primum cedrimo, alijsq; delibutum reddunt.  
Myrrba deinde ac cinamomo alijsq; non longiori tantum con-  
servationi, sed etiam si agrantia aptis conditum propinquis red-  
dunt. Morem hunc condiendi defunctorum corpora a-  
romaticis unguentis, aut certe aliquid ejus Israelitæ secum  
ex Egypto Palaestina intulisse videntur. Hinc Moses May-  
monides Doctor Hebræorum maximus juxta Heinsum in  
Aristarch. p. 415. supra citatis verbis subjungit; Un-  
guentis ex diversis aromatum generibus confectis ungitur. Idē  
docet experientia, cujus testis Historia Sacra; Sic enim de  
funere Regis Asæ dicitur 2. Paral. XVI. 14. quod posuerint  
eum super lectum suum plenum aromatibus & unguentis.  
Huc pertinent verba Christi apud Triadem Evangelistarū,  
Matth. 26. v. 10. Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim  
bonum operata est in me. v. 12. Mittens enim hoc unguen-  
tum in corpus meum  $\omega\epsilon\sigma\ \tau\omicron\ \epsilon\upsilon\tau\alpha\ \phi\iota\alpha\sigma\ \alpha\upsilon\tau\epsilon$  ad funerandum me  
fecit. Marc. XIV. 8. Quod habuit ipsa fecit, anteverit unguē-  
to linere corpus meum  $\epsilon\iota\varsigma\ \tau\omicron\ \nu\ \epsilon\upsilon\tau\alpha\ \phi\iota\alpha\sigma\ \upsilon\delta\ \nu$ , ad funerationem.  
Et Johan. XII. 3. cum Maria accepta libra unguenti nardi  
pretiosi unxit pedes Jesu v. 7. Sine eam, dicit obmurmu-  
ranti Judæ,  $\epsilon\iota\varsigma\ \tau\omicron\ \nu\ \eta\upsilon\sigma\epsilon\gamma\ \tau\epsilon\ \epsilon\upsilon\tau\alpha\ \phi\iota\alpha\sigma\ \upsilon\delta\ \nu\ \iota\sigma\ \tau\epsilon$  in diem pollin-  
etur & me & servavit illud. Fuit ergo hæc unctio per antici-  
pationem funebris & sepulchralis ex ipsa Christi senten-  
tia. Eucherius Lugdunensis Episcopus Homil. in versum  
2. cap. XXVI. Matthæi sic scribit; Significatio est, non perdi-  
tio, in proximo passurus sum, ideoq; mulier hoc unguentum mibi  
attulit ad sepeliendum. Nos enim antiquitus fuit, ut no-  
bilibium corpora sepelienda ungerentur & cum aromatibus sepe-  
lirentur. Nobilium inquit corpora, neque enim ad quos-  
vis pertinebat hic honor, non ad hominem conditionis  
humilis, quem Græci  $\eta\epsilon\gamma\sigma\ \pi\epsilon\delta\iota\mu$  vocant, quasi ultima lo-  
ca semper

G

ca semper occupantem. Exprimitur autem apud Mar-  
cum & Johannem unguentum Nardinum, quod magni tū  
fuisse pretij, inquit ætatis suæ decus *Casaubonus* Exercitat.  
XIV. num. XIII. quia illis temporibus unica fuit urbs *Laodicea*,  
quæ unguentum hujusmodi cum laude conficeret. Nec multò  
ante *Galenii* tempora in aliis etiam urbibus cepit fieri quod com-  
mendaretur. Uncturam hanc feralem in ipsa Domini se-  
pultura servatam esse testis est Evangelista Theologus cap.  
XIX. 40. ubi *Josepho de Arimathæa* supervenisse narrat Ni-  
codemum ferentem mixturam myrrhæ & aloës, quasi li-  
bras centum. *Acceperunt ergò corpus Jesu & ligaverunt il-  
lud in linteis cum aromatibus.* (unctum aromatibus.) Et ne  
quis inusitatum hoc fuisse crederet, addit, *καὶ Ἰσραηλῶν  
τοῖς Ἰουδαίοις ἐν τῷ Φιδῆσεν sicut mos est judæis sepelire.* Aro-  
mata autem, quæ ad uncturam fuere usurpata, revocat E-  
vang. Johannes ad duas species, ad myrrham scil. & aloën,  
utpote sumptuosiores & in hac mixtura dominantes, ut  
observat *B. Gerbardus Harmon.* Evangel. Passion. Dom.  
cap. XIX. p. 915. Alias enim species etiam adhiberi solitas  
fuisse docet *Schindlerus* in Lex. Pentagl. in voce *שֶׁמֶן* ubi ad-  
dit, *condidit aromatibus, myrrha, aloë, cedromelle, sale ce-  
ra, bitumine & resina corpora mortuorum, ut incorrupta ma-  
neant, & afferrentur in loculis, nec fæteant: sicut Judæi &  
Ægyptij faciebant.* Quanquam verò morem admoventi  
aromata cadaveribus ab Ægyptijs Hebræi mutuati sint, ut ex  
Gen. L. cap. non obscure intelligitur, modus tamen ipse  
condiendi mortuos fuit diversus. Ægyptiorum enim  
conditura intrinsicus fiebat exenterato ventre seu exem-  
ptis illis sordium & humorum receptaculis & cerebro per  
nares extracto, ut supra docuit *Herodotus*. Judæi verò ex-  
trinsicus corpori applicabant unguenta & aromata, dein-  
fascijs involvebant ut ex sequentibus patebit. Videatur  
ante.

ante laudatus admirandæ lectionis Criticus *Isaac. Casaubo-*  
*nus Exerc. XVII. num. CXII. B. Gerhardus Harmon. Evangel.*  
*Passion. Dom. cap. citat.* Ungend: vera consuetudo po-  
stea à Judæis transit ad Christianos, quod Prisci Scriptores  
Ecclesiastici multis suorum scriptorum locis firman. Aro-  
mata, thus, aliasque id genus Arabum merces Christianos  
funeribus suis adhibuisse author est *Tertullianus*, Latino-  
rū Patrū, quos habemus antiquissimus, Apologetici cap.  
XLII. & lib. de Resurr. Carnis, ubi inquit, *Proinde n. & corpora*  
*medicata condimentis sepulturæ mausoleis* (sepulcra regum,  
sic vocant) *& monumentis sequestrantur.* Unde & lib. de I-  
dololatria, aromata ad solatia sepulturæ usui esse, dicit. Ter-  
tullianum Afrum subsequatur *Minutius Felix* Causidi-  
cus Romanus, Tertulliani æqualis, apud quem inter cri-  
mina Christianis objicitur; *Non Floribus caput nectitis, non*  
*corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta Funeribus.* La-  
tinos excipiat *Clemens Alexandrinus* Græcus lib. II. Pæda-  
gog. cap. VIII. *Nimia unguentorum unctiones, justa qua fi-*  
*unt mortuis potius, quàm familiarem vitæ consuetudinem re-*  
*dolent.* De funere Justiniani Imper. qui immensa Vete-  
ris prudentiæ volumina coadunavit in uno, suo præful-  
gente nomine, *ut ipse loquitur*, sic canit *Corippus* lib.  
III.

*Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis*  
*Infundunt pateris & odoro balsama succo,*  
*Centum aliæ species, unguentaq, mira feruntur,*  
*Tempus in æternum sacrum servantia corpus.*

Alludit eò *Prudentius* qui *Amænus* cognominatus est, quod  
omnium Christianorum Poetarum amœnitate & varietate  
Lyricorum Carminum longè sit Princeps (elogio *C. Bar-*  
*thij* lib. VI. Adv. c. 1.) Hymno ad Exequias Defunctorum,  
his versiculis:

G 2

Candore

Candore nitentia clavo

Prætere linteæ mos est,

Asperſag, myrrha Sabæo

Corpus medicamine ſervat.

Nota finem unctiõnis feralis, videl. ut cadaver diutiſſimè  
incorruptum & putredinis expers ſervaretur, *Donatus in 6.  
Æneid.* rationem hanc adſignat, ut celerius flammam con-  
ciperent, quæ cauſa non habet locum apud eos, qui cor-  
pora non cremabant, ſed *Quæcumq.* (verba ſunt Lorini in  
cap. IX. Actuum Apoſt. v. 37.) *Gentiles impulerit* (apud quos  
de lubri teſte *Aſconio in Drum.* dicebantur, in quibus eſſent la-  
bra corporum abluendorum mortuorum) haud du-  
bium, quin p̄i amorem ergà defunctos, & Reſurrecciónis ſpem  
omni hoc adhibendo circa illos cultu declarare velint. Ut au-  
tem finis iſte, conſervatio ſcil. cadaverum à corruptione  
obteneri poſſit, illa potiſſimum unguenta aliaque pluri-  
ma ſunt adhibita, quæ vi hac præſervatrice erant prædita.  
Myrrha in primis corporibus condiendis adhibebatur,  
quod exſiccet, humiditates abſumat, & à putredine con-  
ſervet, unde & inter munera à Magis Jeſulo oblata, *myr-  
rheus pulvis ſepulchrum prædocet* ut loquitur jam laudatus  
divinus ille *Pindarus, Prudentius, Hymno de Epiphania.* Er-  
am ob cauſam etiam in melle Babylonios cadavera ſua cõ-  
diſſe credo, quod memoriæ prodit *Herodotus lib. I.* Ale-  
xandrum Magnum quoque hoc modo conditum *Histori-  
ci* tradunt. Mellis enim natura talis eſt ut putrefcere cor-  
pora non ſinat teſte *Plinio lib. XXII. c. 24.* quæ Medicis diſ-  
cutienda relinquo ne *ἐν ἀλλοτρίῳ χρομῶ πῶδα* poſuiſſe videar.  
Perſæ cera mortuos oblinebant, quod præter *Herodotum  
lib. I.* & *Strabonem Lib. 15.* *Cicero I. Tuſcul.* affirmat. *Per-  
ſæ,* inquit, *jam cera circumlitos condiunt, ut quàm maximè  
permaneant diuturna corpora.* Idipſum *Scythiſ* quoque  
tribuit.

tribuit *Herodotus* lib. IV. Vide *Magium* in Necrotapho-  
 gia. *Cornelius Nepos* aut verius *Emilius Probus* de Age-  
 silao ait. amicos Agesilaum vitâ defunctum quo ex portu  
 qui Menelai vocatur inter Cyrenas & Ægyptum, Spartam  
 facilius perferre possent, cum mel non haberent, cera cir-  
 cumfudisse atque ita domum retulisse. Gypso Æthio-  
 pes induxisse suos mortuos jam arefactos autor saepe cita-  
 tus *Herodotus* lib. III. Sed de unctura plus satis. Dicen-  
 tibus non Romani solum sed & Lacedaemones itemque  
 Athenienses & quidem vestibus cuiusvis statui conveni-  
 entibus. Magnam Italia partem defunctos togâ involvis-  
 se testis est *Juvenalis* juxta *J. C. Scaligerum* lib. VI. *Poëtices*  
*cap. 6.* Satyrorum facile princeps *Satyr. 3.* Toga autem,  
 (cujus inventorem Græci Tebennum Arcadem prædicant,  
 qui primus id genus vestis gesserit, & Italia intulerit, *Tur-  
 neb. Advers. lib. VII. cap. 20.*) communissima erat candida  
 in vulgo civium & funeribus tacitis. Idem apud Græcos  
 mos obtinuit, hinc primus eruditionis parens *Homerus* *Iliad.*  
*Σ. de Patrocli funere:*

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑαυτῶ λίπὶ κάλυψαν  
 εἰς πόδας ἐν κροθαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρει λευκῶ.  
*In lectum autem imponentes linteo subtili texerunt,*  
*Ad pedes à capite, desuper autem alba veste.*

Ditiores verò & qui virtute sibi honorem quaesiverant, in-  
 pretiosâ & honestissimâ veste efferebantur. Qui Magi-  
 stratum publicè gesserant, toga prætextatâ, Censores pur-  
 pureâ, Triumphales auro intextâ induebantur, ut docet  
*Polybius* rebus gestis, non modò scriptis disertissimis clarif-  
 simus lib. VI. Apud Lacedaemones etiam honoratioribus  
 ἐν πορφύρῃ, ἐν ποικίδῃ in purpurea sive in punicea veste,  
 elatos legimus apud *Plutarchum* νόμιμα λακων. De cætero  
 coronâ

G 3

coronâ virtute in vitâ partâ mortuus condecorabatur apud Romanos permiffu Legis XII. Tabul. ut est apud *Plinium Lib. XXI. c. 3. & Cicer. II. de Legibus.* Ipſumque corpus defuncti lectusque quo efferendus erat ſuaevolentibus floribus & corollis herbisque odoratis aſpergebatur. Coronare mortuos etiam Græcis in uſu fuit; unde Hercules apud Euripidem; *Quid hoc rei? video liberos meos ante domum coronatos capita mortuorum ritu.* Venio ad Judæos, de quibus ita pergit ſupra allegatus *Mofes Egyptius Hal. Ebel. cap. 4. ex Interpretatione Schickardi de Jure Regio Hebræor. cap. VI. Abradunt pilos corporis, mox veſtiunt involucris, candido filo lineo confutis, neq; pretioſis. Solent Sapientes adhibere ſudarium, non plus denario conſtans, ne pudefaciant tenuiores, quibus eſt res anguſta domi. Eâdem de cauſâ tequent faciem defuncti, ne prostituantur pauperiores, quorum famelici vultus ob alimenti penuriam, plerumq; ſunt deformiores.* Lex autem erat ſumptuaria, quâ modus eſt impoſitus impenſis apud Judæos fieri ſolitis circa veſtes, quibus mortuos involvebant, lexque hæc adſtrongebat omnes, etiam ſi quis מלך eſſet (princeps & caput Synedrij, ut interpretatur *Casaubonus Exercit. XVI. num. CI. & Druſius Præterit. lib. I. ad Matth. cap. XXVI. 8.*) hinc porro pergit *Maymon. Nefas eſt ſepelire involucris hoſtoſericis, veſtibusve deauratis vel acu pictis, etiam Principem Iſrael (nonputo Regem) quoniam hoc arguit ſaſtum animi, eſtq; prodiga perditio & mos Ethnicus.* Sindone ergo involvebant mortuos ſuos Judæi, quæ Sindones ſepulchrales Rabbinis dicuntur תכריכי המטה involucria mortuorum à radice כרה involvit, velavit, fiebantque ordinariè ex lino ſubtiliore. In eam ſententiam loquitur *Buxtorſius Synagogæ Judaicæ cap. XXXV. Albam deinde illi lineam tunicâ induunt, & quidem vulgò eam, quam Expiationis die induere ſolitus*



folitus erat, & ita in pheretrum recondunt. Antiquissima enim hoc apud ipsos est consuetudinis. לקבור בבגדי לבנים in vestimentis albis tumulo mortuos mandare. Pretiosis verò vestimentis aliis ne quidem principem in Israele sepelire licet. Idem ex sepulturae Dominicae descriptione clarū est; In eā enim Sindone munda Salvatorem involutum fuisse legimus, quam hodie Taurini in Pedemontio religiosè servari scribit Cornel. à Lapide ad Cap. XIX. Job. ad versiculum 39. Deinde sudario faciem obtegebant Judæi, ut colligitur ex Johannis XX. 7. Sudarium Christi Nicææ, Aquis in Germania, Trajecti, & Vefontij, Cadonij, Lemovii in Lotharingia & Romæ in Vestalium aliquo Monasterio devotè à plebe honoratur, ut docet liber de spoliis, exuviis & reliquiis Sanctorum qui extat in Lectionibus memorabilibus Wolffij Cent. XVI. p. 233. Pedes autem & manus colligabant ~~reclusis~~, institis, ut ex historia Lazari Joh. XI. 44. videre est, qui ut erat adhuc funereis & sepulchralibus fasciis obstrictus, prodijt; Ita enim Evangelista, Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies ejus sudario erat ligata. Quamquā Christianos solo linteamine obvolviffe suorum cadavera legimus, ut apud Eusebium lib. VII. cap. 17. quod alludit Prudentij sanctissimi Poëtæ hymnus; Candore nitentia claroprætere linteamos est. Et locupletissimus testis est Ecclesiæ Doctor Hieronymus, de muliere septies percussa ad Innocentiū scribēs Epist. 49. Clerici, quibus id officij erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt & fossam humum lapidibus construentes ex more tumulum parant. (ubi obiter nota, Clericorum antiquitū, cum Tyranni sub signis merentes Principis hujus mundi, Christianam Ecclesiam persequerentur, hoc fuisse munus, ut martyrum corpora mandari terræ curarent.) Huncque morem linteo cadavera obvolvendi hoc tempore Christianitatis pars major tenet, exce-

exceptis fortasse insignioribus personis & sacerdotibus ut docet Lorinus in cap. IX. Actorum v. 37. Plurima tamen in Veterum scriptis occurrunt exempla quæ probant, viventium more vestibus etiam fuisse indutos vita functos, suo statui consentaneis, ut quæ vitam ipsorum, eadem & sepulturam decorarent. Morem autem vestiendi mortuos prolixè admodum describit *S. Gregorius Nyssenus in vita B. Macrinae sororis suæ*. Liber de vitis Pontificum quæ *Damasci* Pontifici Romano vulgò tribuitur; qui vixit Anno Christi 367. cum tamen *Anastasium* Bibliothecarium autorem habeat, qui in medio seculi Noni demum floruit, refert, Eutychanum Papam constituisse, ut, quicumque fidelium martyrem sepeliret, id sine Dalmatica aut Collobio purpurato nullatenus faceret. Est autem Dalmatica, tunica sacerdotalis candida cum clavis & purpura ut explicat *Isidorus lib. XIX. Orig. cap. 22*. Collobium verò vestem notat sine manicis & mutilatam. Secundum jus Canonicum Archiepiscopi & Prælati cum Pallio & habitu Ecclesiastico sepeliri debent. *C. ad h. c. 2. extr. de auth. & usu pall.* interdum & vestibus pretiosis, quibus amicta erant defunctorum corpora ceratum superinjiciebatur linteum vel pulum etiam pallium, ut exemplis docet *Jacobus Gretserus de funere Christiano lib. I. cap. V.* unde ante citatus Lorinus loco dicto; *Utrumque apud nonnullos Christianorum fuit in usu, simul cadaver veste induere, simul indutum linteum involvere*. Irrepebat autem in his emortalibus vestimentis luxus aliquis & ostentatio, in quæ invehitur supra citatus Sanctus Ecclesiæ Antistes *Hieronymus de vita S. Pauli* primi Eremitæ, ad calcæ; *Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus, lachrymasque non cessat? An cadaver a divitum, nisi in serico putrescere nequeunt*. Et *S. Chrysostomus*, *Os illud aureum eloquentiæ*, *Homil. 84.*

Tu cum

Tu cum audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa, queso,  
ab insana funeris impensa. Quid sibi hoc superfluum vult,  
& inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt, plurimum af-  
fert detrimenti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum po-  
tius? Sumptuosa namq. sepultura nonnunquam causa est, ut  
fures cadaver effodiant & nudū & insepultū projiciant. Et post  
pauca, Quod ego, non ut sepulturā tollā, dico, absit, sed luxuriā  
& superflūā ambitionē. Porro ablutū probē, unctū ac honestē  
vestitum floribusque coronatum demortui corpus in ædi-  
um vestibulo ad ipsum limen collocabant Romani pariter  
ac Græci, ut aliis intuendum præsentaretur, & cerneretur  
mortuus eequa ei vis illata ut indicat Julius Pollux L. II. c. 1.  
Collocabant autem defunctos vel humi, Artemid. L. I. cap.  
de Nativitat. Valerius Maxim. L. I. c. VIII. vel in alto lecto,  
Perf. Satyr. 3. Servabant etiam, ut cadaver foras spectaret,  
& facie pedibusque esset in publicum versis, forsitan eo si-  
tuabitionem illam postremam significantes, ut inquit  
Job. Rosinus Antiquit. Rom. lib. V. cap. 39. Ordinem hunc  
Lucianus nobis præit de luctu scribens; μετα ταύτην δὲ λίσσαν  
αὐτοῦ καὶ μὲν τῶ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα καὶ στεφανώ-  
σαντες τοῖς ἀγρίοις ἀνθεσι καὶ ἄλλοις. Deinde lotos eos unguen-  
toꝝ optimo delibutos & tempestivis floribus coronatos collo-  
cant. Neque Christianis inusitatum fuit, ut hominum  
conspectui exponerentur mortui. Sic enim S. Lucas in  
Actis cap. IX. 37. Mortuam Tabitham in cœnaculo positam  
fuisse scribit, Ad quem locum Aloysius Novarinus lect. IV.  
num. 1019. Quæ vivens bonis operibus ad summa conscende-  
rat, mortua in altiori domus parte collocatur: antiquitus sæpè  
in cœnaculo cadaver a exponebantur, at alij notavère. In eun-  
dē Lorinus. Onuphrius Panuvinus, inquit, de ritu sepeliendi  
c. 3. locum ubi cadaver a exponerentur, universè infert ex præ-  
senti historiā fuisse cœnaculum, vel domus publicam partem.  
Soler tamen cadaver multis in provinciis ad januam domus,

μετα ταύτην  
seu Collo-  
catio.

Conclama-  
tio.

seu in vestibulo exponi. &c. Et hæc expositio, inquit *Gregerus de Funere Christiano lib. I. cap. VII.* ad spectaculum fiebat, non modò anteductum, sed & aliquando post ductū funus, nam corpus *B. Paulæ vidua triduo post funus expositū mansit, donec subter Ecclesiam & juxta specum Domini condere- tur.* ut scribit Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ. Sed ne quid ceremoniarum prætermittam; Conclamabant tãdem corpora, qui in re præsentī erant apud Romanos li. e. mortui nomen claris vocibus ore plurium iterabant. Causam conclamationis suppeditat *Plinius lib. VII. c. 52.* eamq; præterea tradit *Cornelius Celsus Præf. lib. 1. de re Medica,* Quoniam, inquit, solet plerumq; vitalis spiritus exclusus purtari & homines fallere, ideoq; simul conclamabatur, si fortè revivisceret. Eadem causa erat, cur calida mortui abluerentur. Hinc *Casp. Barthius Advers. lib. XXXVII. c. 17.* Mos erat antiquorum mortuos, quos comburent aqua calida abluere, ut si quis spiritus intus lateret calore excitaretur. Ne igitur semivivi, pro mortuis sepulturæ traderentur, consuetudo ciendi clamorē introducta est, unde & conclamati dicebantur, in quib; nulla spes reviviscendi. *Eusebius* *ω ε γ ω ε ρ ο ν δ η ς*, XI. libro & *Theodoretus* ex *Platonis* X. de Republ. Eris Armenij proferunt exemplum, qui cum in prælio occubisset, sublatis decimo die cadaveribus, cæteris quidem jam corruptis, integer repertus fuit, & domum delatus ut funeretur, duo decimo ab obitu die pyræ impositus revixit. Refert hoc ex prædictis Scriptoribus Reverendus Adm. Dn. D. *Calixtus* de Immortalitate Animæ cap. IIX. Sed emanor sum, Conclamationis causam indicare volebam, in viam redam & de signo funebri dicam oportet. Indicis loco apud Romanos, funestam ibi esse domum, Cupressus (quæ arbor excisa non regerminare fertur) in vestibulo seu super limen superum Januæ ponebatur, ne quis scil. rem divi-  
nam

Funeris si-  
gnum.

nam fortè facturus imprudens & nescius domum illam,  
introiret, & velut attaminatus suscepta peragere non pos-  
set, ut docet *Servius in 3. Æneid. in id.*; Atrac; cupressu. Divi-  
tū a. duntaxat non omnium adibus funestis præponi soli-  
tam sacram hanc lacrimis & luctus arborem auctoritate Lu-  
cani, (elegantissimi ac doctissimi poetæ elogio Turnebi  
advers. lib. XXI. c. 18. contra aliorum judicium) confir-  
mamus:

*Et non plebejos luctus testata cupressus.*

Idque ob peregrinæ arboris raritatem. Refert *Kirch-  
mannus lib. I. de Fun. Rom. cap. XIV.* in fine, Græcos ad fo-  
res privatarum ædium tantisper dum illæ funestæ essent,  
& dum ~~ægypticis~~ fieret ejus, qui objerat, vas magnum statu-  
isse aquâ lustrali plenū, quâ sese quisq; exiens aspergebat,  
qui exequias venerat. Solitos etiā fuisse capillos de ipsiq; de-  
functi capite sectos foribus appendere, quod utrūq; pro-  
bat ex *Euripide*. Regredior ad Christianos, qvi Campa-  
nā signum dare solebant, præsertim in Monasteriis, cum  
quis eorum de seculo fuisset evocatus, vide *Bedam lib. 4.  
bistor. Anglic. cap. 23.* Ad defunctorum verò corpora ac-  
cendebantur faces, lampades, cerei, ante quoque quàm ad  
sepulturam exportarentur. Refert *Eusebius de Constanti-  
no Magno*, Milites eum defunctum Constantinopoli in o-  
mnium magnificentissimis Imperatoriis adibus, celso at-  
que edito loco deposuisse, luminibusque circum funus  
aurea super candelabra accensis admirabile spectaculum  
intuentibus præbuisse. *lib. 4. de vita Constantini cap. 66.*  
Psalms itidem ad feretrum defuncti cantatos legimus ap-  
ud *Hieronymum de S. Paula & Augustinum lib. IX. Confessi-  
on. cap. 12.* Restat Funeris Indictio, quæ per præconem fie-  
bat apud Romanos, qui ad funus deducendum populum  
solemni formula evocabat, quæ hæc erat ut *Scaliger* obser-  
vat ex

*Funeris  
Indictio.*

vat ex Terentij Phormion. Act. V. Scen. ult. & Varronis Lib.  
 IV. de Ling. Lat. OLLUS. QVIRIS. LETHO. DATUS. EST.  
 L. TITIO. EXEQVIAS. IRE. CUI. COMMODUM. EST.  
 JAM. TEMPUS. EST. OLLUS. EX. AEDIBUS. ECFER-  
 TUR. Hinc etiam *Indictiva* funera autore *Festo* diceban-  
 tur, veletiam *Indicta* apud *Svetonium* in *Jul. Caf. cap. 84*  
 quæ erant amplissima & præter alium sumptuosum appa-  
 ratum quoque ludis celebrata adhibitis etiam desultori-  
 bus. Eadem dicebantur publica, erantque primorum scil.  
 & ditiorum, quibus opponebantur funera *Tacita*, sive  
*simpludearia* vulgaria & communia, videl. plebejorum,  
 quæ fiebant sine pompa, sine ludis, sine præcone & indi-  
 ctione, vide *Senecam* lib. 1. de *Tranquillit. cap. 1*. Ad *Taci-*  
*ta* funera revocantur *acerba*, h. e. eorum qui intra Tyro-  
 cinij diem & ante sumptam togam virilem moriebantur,  
 Hi enim subtrahebantur potius, quàm cum pompa sepe-  
 liebantur. In quam rē *Cornelius Tacitus* (qui familiam du-  
 cit omnes inter historicos, quæ prudentiam, quæ sincerū  
 mentis iudicium, quæ postremò ipsam dictionem, *Elogio*  
*Excell. Dn. D. Conringij Præfat. in Tacitū de moribus*  
*Germ.)* lib. XIII. *Annal. de morte Britannici. Festinatio-*  
*nem exequiarum edicto Cesar defendit, id à majoribus instit-*  
*ū referens, subtrahere oculis acerba funera, neq. laudationibus*  
*aut pompâ detinere.* Vide *Kirchmannum* lib. 1. de *Fun. Rom.*  
*cap. IV. de his & alijs funerum distinctionibus.*



PRiscorum tumulos dum percontaris, AMICE,  
 TE meminisse juvat Nobile: DISCE MORI.

*ornatiss. Dn. Respond.*  
*Amico suo optimo hoc scribebat*  
*M. Andreas Müller / Diaconus*  
*Witteberg.*



ULB Halle  
002 684 632

3




V5 17









B.I.G.

Farbkarte #13

1648  
19  
14

# PULTURA VETERUM.

five  
ANTIQUIS RITIBUS SE-  
PULCHRALIBUS,  
ianorum, Græcorum,  
orum & Christianorum,  
DISPUTATIO TERTIA.

*Quam*  
D. O. M. A.  
*Præside*

L. ANDR. QVENSTEDT.  
OL. FACULT. PHILOSOPH.  
ADJUNCTO,

*Publica disquisitioni submittit*  
CHARIAS MATTHIÆ  
Brandenburgo-Marchicus.  
*ad diem 17. Maij horis antemeridianis.*  
In Auditorio Philosophorum.

⌘[+]⌘  
WITTEBERGÆ,  
na typographica JOHANNIS HAKEN.  
ANNO M.DC.XLIIX.

